

1824 A D cd 132447 III

SOLEMNE EXAMEN

IN GYMNASIO REGIO POSNANIENSI,
ET IN SCHOLA, IN QUA PUERI AD STUDIA GYMNASII
CONFORMANTUR,

diebus 27. 28. 29. et 30. Septembris instituendum

OMNES LITERARUM CULTORES

EA, QUA PAR EST, OBSERVANTIA

INVITAT

C. BUCHOWSKI,

Matheseos Professor, munus Rectoris Gymnasii interim sustinens.

*(De facultate latine scribendi atque loquendi
hoc libello agitur.)*

POSNANIAE


Typis W. DECKERI 1824

659220





2000. MAR. 22



1824

cd 132447 III

A D

SOLEMNE EXAMEN

IN GYMNASIO REGIO POSNANIENSI,


ET IN SCHOLA, IN QUA PUERI AD STUDIA GYMNASII
CONFORMANTUR,

diebus 27. 28. 29. et 30. Septembris instituendum

OMNES LITERARUM CULTORES

EA, QUA PAR EST, OBSERVANTIA


INVITAT



C. BUCHOWSKI,

Matheseos Professor, munus Rectoris Gymnasii interim sustinens.

*(De facultate latine scribendi atque loquendi
hac libello agitur.)*



POSNANIAE.

Typis W. DEUKERI 1824.

659220

132447 III

Godde
1826.



J. C. Trojański, Lecturis S.

Quod et temporis angustiae et ipsa brevitatis ratio, omni jure praecipuis scribentium virtutibus annumerari solitae, me facere cogebat, et tam exiguo operi ipse convenientissimum fore arbitrabar, ut nulla praefatione facta, ad rei propositae tractationem accederem; id ne efficere liceret, duabus de causis, inter se diversis, accidit. Quum enim in hoc literarum genere neminem unquam existimatorem doctum et intelligentem aliquid probavisse scirem, nisi quod per se magnum esset et grave, perfectum ingenio, elaboratum industria, sermonis denique nitore excultum; illorum vero, qui in doctrinae aliquo genere totum animum et diligentiam posuerunt, id proprium esse viderem, ut ejus artis scientia, quam colerent, nimio opere delectarentur, eamque, ceteris posthabitis, in sinu gestarent et tanquam filiolum exoscularentur, quodque didicerunt ipsi, praeclarum aliquid esse existimarent: non sine causa verendum mihi putavi, ne quis me eadem superstitione captum, aut spe laudis commotum, ultro me ad scribendum obtulisse, aut occasionem oblatam cupide arripuisse crederet, quo nugae istas, neque argumenti dignitate, neque orationis elegantia commendatas, pro rebus magnis et praeclaris venditarem. Igitur quod saepe multi arrogantia fecerunt, ut occasionem nacti de se rebusque suis praedicarent, id ego necessitate adductus, quo crimen arrogantiae effugiam, facere cogor, ut, antequam de re suscepta dicere instuam, de me ipso pauca dicam factique rationem probem.

Quum is, ad quem hoc forte tempore scholae moderandae provincia interim erat delata, inter cetera suscepti muneris officia id quoque suum esse putaret, ut libellum ederet a se conscriptum, quo ad solemne juvenum explorandorum cultores amatoresque literarum invitaret, jamque ad ea, quae nuper inchoata affectaque habebat, pertexenda et perpolianda accingeret sese; improvisa vis morbi eum tentare coepit, magnamque temporis partem, quod operi perficiendo destinaverat, peregrinatione valetudinis causa eum terere coëgit. Quumque infirmitatem corporis etiam animi aegritudo est sequuta, morbusque in dies ingravesceret, plane ab incepto destitit, egitque mecum, ut hoc negotium, quod non tam tempus et laborem, quam animum vacuum ab omni cura desideraret, suscipere vellem. Invitus egomet hoc mihi persuaderi sum passus: tum quod occupationes, non eae quidem magnae, sed ipsa assiduitate molestae, omne fere tempus auferebant, tum quod persuasum habebam, plerosque illorum, qui eodem docendi munere fungerentur, quanto mihi ingenii, doctrinae, meritorumque laude praestarent, tanto huic provinciae aptiores magisque idoneos esse. Sed tamen quae in illis valuit excusatio, se praeter docendi officia etiam domesticarum rerum cura distineri, mihi quum nulla esse poterat, conditionem accepi; nihil vero inchoatum nedum paratum habens, quod excudi posse videretur, ut temporis brevitatis postulabat, ea, quae mihi ex quotidiano docendi usu observata sunt, breviter, meo more, consignare et in medium proferre consentaneum esse duxi; speroque fore, ut aequi iudices, de rei ratione edocti, facile veniam tribuant, si non ea, quae debuerint, sed quae tam exiguo tempore praestari potuerint, humanissimo suo iudicio relicta videant.

Sine studia et ardore nihil quidquam egregium nemo unquam assequetur... Sed profecto studia nihil prosunt perveniendi aliquo, nisi illud, quod eo, quo intendas, ferat ducatque, cognoris. Cic.

Facultatem latine loquendi atque scribendi sola auctorum vel optimae notae lectione comparari non posse, sed, qui ad aliquam hac in arte praestantiam pervenire cupiant, iis assidua exercitatione omnino utendum esse, quum ita certum atque exploratum sit, ut nemo dubitare posse videatur, qui modo unquam vel mediocriter res istas attingere studuerit; tum etiam virorum doctissimorum testimonio abunde confirmatur. Quorum ille, cujus hac in re auctoritas nescio an plurimum valere debeat, Doeringius V. Cl. ita professus est: suo iudicio ne eum quidem, qui vel omnia Ciceronis scripta memoria sit complexus, etiam summa vi et contentione virium adhibita, nedum sine labore, aliquid recte et emendate scribere posse, nisi assiduitate scribendi eam sit nactus facultatem. At quemadmodum saepe id accidere solet, ut juvenes, postquam linguae praecepta, quae nomine Grammatices continentur, ita edidicerunt, ut quovis iubente memoriter omnia pronuntiare et solutissima lingua narrare possint, tamen, si ad scribendum se conferant, earundem rerum, quarum se peritissimos opinabantur, summam ignorantiam et imperitiam ostendant, si, quae infixerunt memoriae, non etiam ingenio et ratione comprehensa teneant; utque illi, qui multos scriptores, eosque intellectu non faciles, verterint, ubi versiculos aliquot auctoris ignoti, quamvis non adeo impeditos, explicare jubentur, interdum aegre nec sine multo sudore sententiam eruunt; aut etiam nimio fatigati labore, quum nodum in scirpo aliquamdiu quaesiissent, ab opere desistere seque tanto negotio impares fateri cogantur, si in comparanda ejus artis scientia non rectam viam rationemque sint sequuti: ita id quoque non raro evenit, ut vel illi, qui in ipsa scribendi arte multos annos sese exercuissent, omnemque diligentiam ad eam rem contulissent, ne ad hanc quidem mediocritatem per-

venerint, ut adhibito labore leve aliquod argumentum eo scribendi genere se pertractare posse confidant, quod non abhorreat a recto, sitque ab omni graviore mendo remotum. Hujus rei vera causa quae sit, si quis inquirere velit, eandem inveniet, quam mox attulimus, in mala pravaque instituendi ratione positam; ut manifestum sit, id non discentium, sed eorum, qui doceant, culpaе tribuendum esse. Quod si ita se res habet, operae pretium esse videtur, paucis docere, quomodo juvenes in arte latine scribendi et loquendi exerceri debeant, ut si minus excellere, at certe ad aliquam facultatem pervenire possint.

Jam primum exercitiōrum scribendi, quibus ad juvenes subigendos in scholis uti solemus, genus triplex est: aut enim patrio sermone dictantur discipulis, quae labore adhibito diligenter et accurate in latinum conversa praeceptorī emendanda et corrigenda tradantur (Exercitia domestica hoc genus dixeris); aut ea proferuntur, quae auribus excepta mox latinis verbis exprimantur, et, ut in chartam sint conjecta, ita statim corrigenda legantur (Exercitia scholastica, Extemporalia); aut denique iis, qui paulo exercitatiores putantur, argumentum aliquod suo ingenio pertractandum proponitur, quod sermone latino scriptura persequantur (Elaborationes domesticae). Eorum, si placet, generum quodque ordine examinabimus.

De exercitiis quidem, tironibus, qui primis literis imbuuntur, dictari solitis, quum duntaxat singulae sententiae lingua vernacula proponuntur in latinum totidem verbis transferendae, non est, quod dici posse videatur; at multa tamen de iis observari possunt, quae juvenibus jam aliquem scribendi usum habentibus dictantur, verbis formulisque latinis ipsorum studio conquisitis reddenda. Quo exercitii genere id potissimum spectatur, ut latinae dictionis comparetur copia, ut discipuli cum singula verba tum universos loquendi modos apte conjungere, probe et accurate componere discant. At quamquam in iis, quae proponuntur, ea a praeceptoribus

adhibetur cautio, ut sermo patrius ad latinitatis rationem, quoad ejus fieri potest, accommodetur, ne juvenes orationis utriusque diversitate in fraudem inducantur, et, dum verum ac proprium studiose quaerunt, in devia auferantur, eoque longius a vero rectoque usu aberrent; nisi tamen vernaculam alienis dicendi modis inquinare ac depravare velint, non poterunt cavere, quin in quoque penso pleraque inveniantur, in quibus verendis a patrii sermonis usu omnino discedendum sit. Quin imo studium illud pravum, quo quidam omni vi contendunt, ut suum latino sermoni simillimum reddant, quemodmodum mea quidem fert opinio, vel ipsius latinitatis causa vitandum potius quam exercendum videtur. Ut enim juvenes a barbaro et romanis scriptoribus insolito loquendi usu prohibeas, iisque verum quasi sensum latinitatis instilles, non assimilando diversa, sed diligenter, quo differat utrumque, observando atque notando efficies. Quodsi ab juvene res vernacula proposita ita accurate transferri postulas, ut non solum quodque suo certo ac proprio vocabulo exprimatur, sed etiam in universis sententiis totaque oratione sermo vere latinus appareat, nihil peregrinum referens neque ullo colore alieno infectus, curare te oportet, ut illi ad manus esse possit liber, qui non singula tantum verba, sed omnes, quae in ullo opere occurrere aut etiam cogitari possunt, loquendi formulas sermonis patrii ex consuetudine latinorum scriptorum apte probeque translatae sit complexus. Opus autem tantae molis quum immensi esset laboris, vires plus quam humanas requirentis, tum etiam utilitatis admodum parvae. Nescio enim, quis vel diligentissimus juvenis satietate taedioque laboris non caperetur, si in quaerenda alicujus vocabuli potestate aut usu latinae formulae, per densam verborum dictionumque, quae sub eodem nomine comprehendi solent, silvam ad id, quo tendit, penetrare cogere-tur? Negari quidem non potest, operosum hunc quaerendi laborem in eo utilem esse posse, quod unam quaerenti formulam occasionem praeberet

plures notandi memoriaeque mandandi, nisi, ne id fiat, obstaret hoc nobis omnibus proprium, ut ad rem, quam forte vestigamus, attentis, eique soli dediti, ceteras non minus graves suoque tempore profuturas, negligamus neque amplecti curemus. Id autem, quod saepe accidit, ut iuvenes in quaerendo minus periti, dum aliud scrutantur, in aliud incidant, rei que longe diversae specie se decipi patiantur, aut postquam diu frustra quaesissent, ex suo ingenio proferant, quanto cum damno discentium fiat, usu edocti omnes noverunt, resque per se indicat ipsa: id enim, quod multo labore magna que opera cognovimus, et si a vero abhorreat, altius descendit et vel invitis nobis memoriae infixum haeret, quam illud rectum probumque, quod facili negotio percepimus; unde fit, ut praecceptoris non tantum in eo elaborandum sit, ut bona discipulos edoceat, sed etiam (id quod multo difficilius est), ut prava illa et mendosa, quae imprudentem animum occuparunt, eruat et omnino tollat. At, dixerit quispiam, incommodo huic occurrere possunt ii libri, quibus ad discipulos in arte transferendi vernacula in latinum exercendos utimur; ii quippe omnia et verba discentibus ignota, et formulas sedulo apteque conquisitas, suo quasque loco suppeditant. Magnam quidem utilitatem hoc genus librorum, si modo perite et docte sint concinnati, adferre, nemo nisi stultus negare audebit; nosque ipsi ea de re suo loco pluribus sententiam exponemus; hic monuisse sat est, eos memoriam ingeniumque juvenum ea tantum verborum formularumque copia augere, quae libro sint comprehensa; igitur in arte accurate et magnam partem eleganter scribendi eos exercere, sed ad comparandam ubertatem latini sermonis minus multo conferre, quam eos libros, quae lexica appellare mos est. Qua vero ratione modoque id, quod spectamus, facilius tutiusque assequi nos posse putem, timide modiceque, ut meus mos est, proferre liceat.

Si Muretus eo tempore, quo jam omnibus doctis sapientibusque

admirationi erat, de se sui que similibus profiteri non erubuit, se nec esse nec fore unquam ita perfectum putare, ut ne quid sibi imprudenti excidat, quod bonis latinitatis auctoribus minus probandum videatur; quis id ab juvene limina academiae intrare cupiente jure desideret, ut et ceterarum, quae in gymnasio tradi solent, et hujus praecipue artis summam perfectamque cognitionem habeat? imo vero, quemque ego magistrum id, quod sibi propositum esset, optime perfecisse, suoque officio praeclare functum esse judico, qui discipulos suae institutioni traditos in eam deduxerit viam, qua si pergere non desinant, studio laboreque ad eam praestantiam pervenire possint, quantam maximam eos assequi fas sit. Hoc itaque agitur, ut iis indicetur ratio, qua usi metam, ad quam tendunt, attingere queant: eaque mihi et optima et fere unica esse videtur, ut legendis latinis scriptoribus verborum et loquendi formularum copiam sibi comparare studeant et in recto eorum usu exerceantur. Qua in re magistros plurimum prodesse posse arbitror, si, postquam unam alteramve Ciceronis epistolam, aut librum aliquem ex Livii vel Caesaris operibus, aut denique quemvis auctoris latini, qui in scholis explicari solent, locum pertractasset, opusculum illis patrio sermone concinnent diverso ordine et alio argumento, quam quae in opere nuper tractato observata sint, ita tamen, ut verba et genera loquendi, si non omnia, pleraque tamen ex eo peti possint. Hoc exercitii genus quum discipulis occasionem praebeat ea, quae lecta sint, repetendi, simul eos adigit vel invitos ad omnes latinas formulas sibi aut ignotas aut minus cognitatas diligenter attendere, eas observare, notare, memoria custodire, et recte adhibere. Jam si difficile et fere incredibile est, quenquam in arte latine scribendi excellere posse, antequam legendis Latinorum scriptis, iis praesertim, unde vera indoles latini sermonis cognoscitur, consuetudinem cum iis familiaritatemque contraxerit; facile quisque intelligit, viam rationemque a nobis propositam, qua juvenes ita le-



gere coguntur, ut e libris in animum memoriamque non res solum, sed etiam verba totumque orationis genus transferant, ad usum loquendi et scribendi vim afferre maximam. Quod si qui opponere velint, mira quaedam specie futurum hoc opus, quippe simillimum vesti e laciniis consutae centonibusque miseris, eos monemus, non hic de veste a tironibus sed a magistro concinnanda agi, neque me inexpertum rem temere e cerebro desumptam vendere, quae verbis defensa usu tandem confirmari debeat: saepius etenim periculum feci in Cicerone, Livio, Caesare et aliis, eventusque docuit, me non vano conatu rem suscepisse.*) At si quis ita pu-

*) Quo major rei tribuatur fides, non supervacaneum esse arbitramur, exempli causa id, quod forte brevissimum habemus, producere. Agitur de M. Manlii Capitolini rerum novarum studio ejusque funesto exitu. In quibus describendis sequuti sumus fidem T. Livii (L. VI. capp. 11—20.), latinitatem vero petimus ex C. I. Caesaris de B. Gall. L. I. capp. 1—20.

„Multa historia antiqua praebet nobis exempla virorum, qui in libera civitate sive meritis suis, sive fortunae favore, famam inter cives nacti, animo opinionibus vulgi inflato, quum opes suas inter ceteros excellere animadverterent, omnibus anteferri illisque imperare nefandis consiliis studerent. Horum fuit numero Romanorum M. Manlius, cui Capitolium ab Gallis defensum cognomen Capitolini indidit. Is cupiditate regni adductus novis rebus studuit, 1) famaque virtute parta ad principatum in civitate obtinendum est usus. 2) Facile factu esse putabat, conata perficere, propterea quod plebi acceptus esset, 3) facultatesque ad largiendum magnas comparasset. 4) Quare favorem sibi largitionibus et aere alieno dissolvens mirum in modum in dies augebat, ut brevi gratia et auctoritate apud omnes plurimum valeret. 5) Quumque rem eo sibi perduxisse visus est, ut privatus plus posset, quam ipsi magistratus, 6) seditiosa atque improba oratione multitudinem concitare contra patres coepit. 7) Erat tum dictator A. Corn. Cossus (is magistratus vitae necisque in omnes habebat potestatem. 8) Ei quum id nunciatum esset, cum Vol-

1) Caes. I. c. 9.

3) ibid.

5) ib. 9.

7) ibid.

2) ib. c. 3.

4) ibid. c. 18.

6) ib. 17.

8) ib. c. 16.

tidus sit et male religiosus, ut ipsi nil placeat, nisi quod exemplo viri, cujus auctoritas a nemine possit in dubium vocari, sit comprobatum, huic non dubito, quin Muretus satisfactorius sit, latinitatis non sordidus auctor. Is Riparium suum, Terentii comoedias Ciceronisque scripta latinitatis causa legentem, operam dare jubet, ut in epistolis, quas ad se missurus sit, iis loquendi generibus utatur, quae in illorum scriptis notaverit.

Sententia de concinnandis injungendisque exercitiis exposita, non a re esse censemus, etiam, quid de emendandis sentiamus, paucis addere. Quod de emendandi labore ab Ovidio scriptum accepimus, majorem esse

scis bellum gerenti, maturat ab exercitu proficisci, et, quam maximis potest itineribus, in urbem contendit.⁹⁾ Postero die, sella in comitio posita, Manlium vocari et apud se causam dicere jubet. Qui omnes clientes obaeratosque suos, quos aere alieno exsolverat, et eorum familiam, multa hominum milia, eodem conduxit, perque eos, ne poenas solveret, se eripere conatus est.¹⁰⁾ Dictator omnibus cognitis, quum ad suspiciones certissimae res accederent, satis esse causae arbitratur, quare securi percuti reum juberet;¹¹⁾ eoque minus dubitationis sibi dari videbat, quod tenebat memoria, ita a Q. Cincinnato in Sp. Maesium, plebis favorem largitionibus captantem, animadversum fuisse.¹²⁾ Plebis tamen furorem verebatur, intelligebatque, id si fieret, magno cum periculo futurum.¹³⁾ Eum igitur comprehendi et in vincula duci imperavit, frustra vociferantem plebi: Ita se omni tempore de populo romano meritum esse, ut in conspectu eorum in vincula abduci non debeat,¹⁴⁾ nec tam necessario tempore ab iis deserere, quorum sola de causa tantam dimicationem cum patriciis suscepisset.¹⁵⁾ Ob quam rem plebs incitata, etsi adversus dictatoriam vim nil in praesentia esset ausa, abdicatione tamen dictaturae timore sublato, armis jus suum exsequi conabatur: magna etiam multitudo ex agris coacta minabatur, carcerem se effracturam esse.¹⁶⁾ Quibus rebus adductus senatus, non exspectandum sibi statuit, dum id fieret, reumque vinculis liberavit.¹⁷⁾

9) ib. 7.

10) ib. 4.

11) ib. 19.

12) ib. 14.

13) ib. 10.

14) ib. II.

15) ib. 16.

16) ib. 4.

17) ib. II.

quam laborem scribendi, id multo magis de exercitiorum emendatione dici potest, qua non id solum spectatur, ut vitia tollantur, sed etiam juvenibus

„Manlius custodia elapsus, omne reliquum tempus non ad oblivionem tam periculosi consilii, sed ad praesidiorum comparationem, quibus conata sine periculo perficere posset, contulit. 18) Quare id omni cura egit, ut quam plurimos, ex his autem fortissimum quemque, beneficiis sibi obstrictos haberet. 19) Ita non patribus solum, sed etiam tribunis plebis curam iniecit, actum de libertate esse, ni audaciae resistatur. Diem Manlio dicunt, convocatoque ad comitia populo, rem, uti sese habeat, ante oculos ponunt, persuadentque, ipsam plebem favore suo causam suam proderet Manlio, qui opibus et gratia non ad libertatem populo vindicandam sed ad libertatis perniciem utatur. 20) Contra Manlius obsecrabat, ne quid gravius in se statuerent, 21) cujus sola haec esset culpa, quod plebi nimis cuperet. Qui si alicujus injuriae sibi conscius fuisset, non fuisse difficile cavere; sed eo deceptum, quod neque commissum a se intelligeret, quare timeret, 22) et plebem auxilio sibi contra injuriam patrum futuram semper consideret. Quod si veteris contumeliae oblivisci velit, 23) quod a superbo dictatore se in catenas conjectum tulissent; quem tandem animum sibi suscipiendum putent, quum, qui vel morte sua vitam ejus redimere parati esse debeant, eorum jussu se ad mortem duci videat? Nil profuere verba: cum populo non cum plebe res erat. Plura dicere conantem tribuni prohibuerunt, 24) damnatumque populi jussu de saxo tarpejo praecipitaverunt.“

„Hunc exitum habuit M. Manlius Capitolinus, quem Livius memorabilem appellat, nisi in libera civitate natus esset; 25) tristeque reliquit posteris exemplum, ne rebus secundis usi, nimis fortuna insolenter gloriantur; nec, si diu injurias impune tulissent, se extra fortunae tela positos arbitrentur; sed ita putent, consuesse Deum immortalem, quo gravius homines ex commutatione rerum doleant, quos pro scelere ulcisci velit, his secundores interdum res et diuturniorem impunitatem concedere.“ 26)

18) Cic. orat. pro
lege man. cap. 4.
init.

19) ib. 9.
20) ib. 20.
21) ibid.

22) ib. 14.
23) ibid.
24) ib. 17.

25) Liv. VI. 20.
26) Caes. 14.

emendator in eo prodesse cupit, ut postea eosdem errores effugiant. Quam parum autem ad id conferat praeceptorum cura, qua scripta juvenum domi suae accuratissime corrigunt, querimoniae, quae a magistris hac de re habentur, et experientia quemque docet; discipuli enim aut incuriosi errores emendatos non examinant, aut quia videant emendationes, neque, cur sint factae, satis sciunt, malo pudore ducti causam exquirere verentur. Ut autem praeceptor cuique sua menda coram indicet, commissorumque ab iis rationem exposeat, id temporis exiguitas non permittit. Optimum igitur est, uti mea quidem fert opinio; discipulos, tota re conscripta, si non omnes, plerosque saltem totum opus voce clara recitare jubere, ut eo facto singula operis membra ponderentur, junctisque omnium viribus in schola emendentur: ita et quae a praeceptore notata, et quae ab ipsis discipulis observata fuerint, ab aliisque, quorum memoria exciderunt, iterum iterumque repetita, perito imperitoque sunt profutura; quorum alter de rebus ignotis edocebitur, alter notas saepius audiendo altius in pectus demittet. Neque parum id etiam ad acuendam juvenum industriam conferet, si fore sciant, ut eorum menda ceteris pateant, omnibusque audientibus corrigantur; honesto etenim pudore moti eo majorem diligentiam operi adhibebunt, ne qua in re gravi per imprudentiam lapsi aequalibus sese deridendos praebeant, seque id nesciisse ostendant, quae, dum non fugiant ceteros, iis quoque nota esse debuerint.

Sed eadem nunc etiam oritur quaestio, num opus ita correctum emendatumque, et nitidius, ut fieri consuevit, descriptum, magistro de integro tradi debeat inspiciendum ac recensendum. Non dubito futuros, qui hunc supervacaneum laborem arbitrentur; nam qui aut ita commodi sui est negligens, ut vitia scripturae tollere et emendare non curet, aut ea ingenii tarditate, ut vel maxime cupienti id efficere non liceat, huic tu etiamsi totum

libellum rubro pigmento illinas et vel maxime versicolorem reddas, non tamen ad augendum latine scribendi usum eo conferes quidquam. Ego vero, si, quod sentio, dicere fas est, tantum absum, ut operam tempusque, quod in hoc negotio consumi solet, perdi putem, ut laborem hunc et utilitem censeam, et, si per se utilis non videatur, tamen necessarium judicem. Remque, quo facilius intelligatur, ita explano. Boni magistri est, non tantum diligentium gnavorumque acuere animum, sed eos etiam, quorum minus probatur studium et industria, quacunq[ue] ratione impellere, ut e disciplina, qua utuntur, vel inviti fructum aliquem capiant. Si si persuasum habeant, praeceptorem pensum quodque etiam post correctionem adhibitam summa diligentia recognoscere et denuo emendare solere, eo majorem ipsi rebus emendandis impendent curam, ne in reprehensionem incurrant, si in culpa deprehendantur. Quodsi qui animo ita duro et ab omni pudore alieno sint, ut ne hac quidem ratione moveri posse videantur; fieri tamen non potest, quin hoc studium curaque praeceptoris, omni virium contentione commodo discentium inservientis, aliquam in animis juvenum vim habeat, qui plerumque ad magistri exemplum sese componere solent.

Sequitur alterum exercitiorum genus, quae Extemporalia appellare placuit; quod imparati juvenes veluti ex tempore vernacula latine reddere coguntur. Quod quidem scribendi genus Döringius V. Cl. jam supra memoratus, non modo non prodesse, sed etiam obesse juvenibus censet: eo enim in hanc illos consuetudinem induci, ut inconsiderate et negligenter scribere discant, studiumque, in quo versentur, grave per se et difficile, levius faciliusque, quam sit revera, esse putent. At potius in emendandis eorum vitiis non solum diligentes, sed etiam severos et prope fastidiosos nos esse debere, ut videant discipuli, quanto labore, quanta industria ei opus sit, qui aliquam scribendi laudem consequi velit; nec quemquam reperiri, ne eo-

rum quidem, qui hebeti penitus ingenio non essent, qui sine labore, vigiliis, et diuturnitate studii id effecerit, ut, si minus in hac arte excelleret, tamen aliquo numero loquere haberetur. Vituperandam igitur esse non acuendam in exercentibus sese celeritatem scribendi, monendique juvenes, ne facultatem usumque latine scribendi in eo positum esse putent, ut celeriter citoque, sed ut labore et deliberatione adhibita recte et emendate scribatur. Quid autem? inquit, quod de me profiteri non audeo magister, discipulum id praestare posse putabo, ut ex tempore emendata oratione scribat? — Qua in re habet sibi assentientem Muretum, Virum, cui doctorum sententia (id enim inter omnes constare video) nemo adhuc repertus est, qui in scribendo par esset. „Ita sumus omnes, etiam qui paullo melius loqui putamur, quam vulgus solet. Dum confidimus, nos jam eam facultatem consecutos, ut vel aliud agentes emendate loquamur, multa inepta et ne in pueris quidem ferenda effundimus.“ Quod si ita est, num ideo recte Extemporalium usum tollendum esse censet vir doctissimus? Huic ego opinioni vehementer assentirem, si exercitii hoc genus, profectum impediens, nihil utilitatis haberet, qua commendari posse videretur. At si nulla est neque ars neque scientia, quae, quod plura contineat, quae offendunt displicentque, quam quae laudanda videntur, continuo repudianda putetur, si modo emendari et recto usui accommodari possit: ita Extemporalia quoque non omnino negligenda, sed ita instituenda censeo, ut detractis vitiis sola utilitas relinquatur. Hoc autem meo iudicio ita optime fiet, si discipuli in vertendo exercitaturi sese, non omnino imparati ad opus accedant. Quam ad rem mirum quantum prosunt ii libri, qui germanico sermone conscripti omnique apparatu latino instructi sunt eo consilio, ut in latinum vertantur ab iis, qui in arte latine scribendi sese exercere cupiant. At ex magna virorum dd. copia, qui iis concinnandis operam navarunt, quum pauci admodum sunt, qui id, quod sibi proposuerant, sint consequuti, tum ne ii quidem, qui hoc

in genere plurimum praestitisse putantur, communi labe carent. Nam dum eo profectum juvvari putant, si juvenibus omnia prompta parataque praebent, ne quaerendo tempus absumere cogantur, ideoque latinas loquendi formulas verbis vernaculis subjiciunt, neque aut in libri fine aut in aversa paginae parte collocant, quod nimium cautis accidere solet, culpa fuga in vitium deducti sunt. Non enim ita discentium sublevandus est labor, ut ignavorum obsequamur segnitiae, cui potius quacunque ratione obviam ire oportet, sed ut honorum sustentetur studium et industria, iisque facilius ad id, quod consequi cupiant, aditus paretur. Multum autem ad augendos alendosque profectus conferre, si discipuli ea verba et genera loquendi, quibus ad vertendum uti necesse sit, penitus ediscant memoriaque comprehendant, nec nisi parati et bene instructi hoc opus aggrediantur, nemo est, qui neget. Hoc vero quo minus facere curent vel diligentes illi sedulique, qui nullum laborem necessarium horrent, nullamque fugiunt virium contentionem, unde fructum aliquem se capere posse sperant, ipsa rei facilitate inducuntur et vel invito trahuntur. Quid, illi desides et ignavi, quos tu ad omnia subigas, quique supervacua et perditam omnem operam putant, qua se commode supersedere posse arbitrantur? Hoc si et usus quotidianus et ratio ipsa ita verum esse demonstrat, ut a peritis in dubitationem vocari non posse videatur, facile quisque concedet, hac levi mutatione librorum facta, ad utilitatem, quae nunc maxima est, quendam quasi cumulum additum iri.

Sed mihi hanc tantam utilitatem librorum, de quibus agimus, reputanti, non parum est molestum, quod in tanta germanicorum copia nullum fere ejusmodi opus est, quod juvenibus polonis, qui lingua germanica minus commode utuntur, inservire possit. Cujus quidem concinnandi ego quum jam pridem consilium cepissem, quod tantopere cupiebam, adhuc effectum reddere non licuit. Aliis etenim libris, qui mihi magis necessarii esse videbantur, edendis operam dare coactus sum, Vocabulario scilicet polono-latino, et Gram-

maticae latinae, quae, postquam anno abhinc quinto cum Vocabulario simul lucem adspexerat, eo, quod excurrit, denuo typis repetita prodit.

Sed ut ad id, quod institui, revertar, Extemporalium usus persequendus est. Sunt autem haec non tam scribendi latine quam loquendi potius exercitia habenda. Quae etenim in schola secundum artis praecepta praeparato fuerint conversa, ea non in chartam conjicienda arbitror, sed saepius repetita memoriae infigenda et ita custodienda, ut discipulus quovis tempore vocatus et singulos locos et continuam rerum seriem accurate et veluti de scripto recitare possit.

De elaborationibus domesticis extremo loco agere nobis proposuimus. Quod genus quanto gravitate utrumque illud superat, tanto plus temporis operaeque illi pertractando impendere statuimus; nisi liber contra opinionem in tantum crevisset, ut non exponendae sed vix indicandae sententiae locus relictus sit. Igitur ut, quid hac quoque de re sentiamus, libere fateamur, admodum parce cauteque praeceptoribus agendum putamus, ne, dum prodesse velint, nimio studio noceant. Ut enim adolescens argumentum aliquod quamvis facile pertractare possit, necesse est, ut et ingenium cogitandi usu subactum habeat, neque verborum inopia in scribendo haereat. Quorum utrumque non nisi multa accurataque lectione librorum, quae res gravissimas continent, et sermone eleganti latino sunt scripti, comparari potest. Quod quidem facile factum fuit, quum juvenes literis dediti nil nisi antiquos scriptores manibus terebant; nostris temporibus paullo difficilius est, ubi discipuli aliarum etiam artium, quae aequae graves putantur, studio a veterum lectione avocantur, neque iis plus, quam ceteris artibus, temporis tribuere possunt. Hinc fit, ut opusculum aliquod suo Marte concinnare coacti, deficiente rerum sermonisque copia, vernacula conscriptum

certe cogitatum in latinum transferant sermonem, qui plerumque nil
nomen latinum habet. Qua igitur ratione exerceri volumus adolescen-
tium aliquem scribendi usum consequutos? Eadem, quam supra demon-
stravimus cum auctorum lectione conjunctam. Nullone discrimine? Imo
vero maximo. Non enim a praeceptoribus illis res vertendas proponi, sed
exemplis doctos, ipsos hac in re vires experiri cupimus, atque periclitari,
si qua membra passim dispersa colligere et apta compositione unum quasi
integrumque corpus efficere possint. Quod munus auspicantibus imprimis
commendanda est egregia Julii Pogiani epistola de Ciceronis imitandi modo;
ex qua hic quoque lubenter apponderemus quaedam excerpta, nisi temporis
ratio liberque nimis auctus moneret, tollendam esse tandem de tabula
manum.

W tym roku następujący uczniowie, w celu udania się na akademię, stósownie do przepisów, osobny złożyli examen:

Breański Waleryan, Antoni Dyament, Oswald Fiszer, Girsz Emil, Oto Guderyan, Maciáy Kaniewski, Karczewski Paweł, Łaszczewski Felicyan, Mazurkiewicz Jozefat, Roman Moraczewski, Eugeniusz Naumann, Obst Adolf, Michał Opalski, Marcin Paszewski, Pawłowski Hieronim, Radoński Nepomucen, Szulc Wilibald, Maksymilian Sikorski, Karól Tyl, Weis Samuel, Seweryn Zaydler.

Z tych dwóch poświęca się Teologii, ieden Filologii; iedenastu słu-chać będzie prawa; trzech ma się uczyć administracyi, trzech sztuki lekarskiéy, ieden budownictwa.

POPIS PUBLICZNY

na który szanownych Rodziców, Opiekunów naszych uczniów, i wszystkich Przyjaciół nauk szkolnych zapraszam, w następującym odbędzie się porządku:

Szkoła przygotowawcza

w **Poniedziałek dnia 27. Września**

od 9 — 10½ klasa I.

od 10½ — 12 klasa II.

od 12 — 2 klasa III.

Królewskie Gimnazjum

Wtorek dnia 23. Wrzesnia

od 9 — 10 klasa I.

od 10 — 11 klasa II.

od 11 — 12½ klasa III.

od 12½ — 2 klasa IV.

W Piątek dnia 26. Wrzesnia

od 9 — 11 klasa V.

od 11 — 1 klasa VI.

od 1 — 2 klasy muzyczne pod przewodnictwem Nauczyciela muzyki JP. Scigałskiego okażą swoje postępy w muzyce. Po wielkiej Symfonii Kuffnera wykonanej przez samych uczniów śpiewaną będzie Kantata Szustra i inne śpiewy na cztery głosy Elsnera i W. Hahna, a na zakończenie Szufta chór z solami.

We Czwartek dnia 30. Września

promocye i pochwały czytane, nagrody rozdawane, i niektóre stosowne do okoliczności mowy miane, a mianowicie podchodzący do akademii uczniowie uroczyscie żegnani będą.

Uroczystość zacznie się o godzinie dziesiątej.

JP. Muczkowski, Nauczyciel języka greckiego i łacińskiego, otworzy ią mową polską: o środkach doskonalenia języka polskiego pod gramatycznym względem.

Eugeniusz Naumann, uczeń klasy VI., mówić będzie w niemieckim języku: o potrzebie wyboru przyszłego zawodu.

Poczem nastąpi przeczytanie pochwał publicznych i rozdawanie nagród.

Józef Mazurkiewicz, uczeń klasy VI., powie w francuskim języku o życiu i piśmianach Woltera.

Hieronim Pawłowski, uczeń klasy VI., mówić będzie w polskim języku o zasługach literackich A. Felińskiego.

Tu tegoroczne promocye przeczytane będą.

Paweł Karzewski, uczeń klasy VI., mieć będzie mowę w łacińskim języku na pochwałę dawnych Greków sławnych mowami i naukami i pożegna Gimnazjum imieniem odchodzących; któremu

Alexander Kupke, uczeń klasy VI., w imieniu zostających w łacińskim języku odpowie.

Zakończy się uroczystość wręczeniem patentów odchodzącym i ich pożegnaniem.



BIBLIOTEKA GŁÓWNA
UNIWERSYTETU AM w POZNANIU





132447

8

NIU

7





BIBLIOTEKA GŁÓWNA
UNIWERSYTETU A.M. W POZNANIU



132447